



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Ludovici Richeomi Societatis Ies. Valedictio Animæ  
Deuotæ**

**Richeome, Louis**

**Coloniæ, 1610**

Hominem esse ciuitatem Regiam. Colloq. LXXXII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50753](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50753)

nos armis suis laceffit, & modò af-  
fultu, modò proditione, modò alia  
ratione propugnaculum & castellū  
animæ nostræ occupare conatur: in-  
ter quæ illud nos erigere, recreare,  
ac consolari oportet, quod nos ex-  
pugnare non potest, nisi ipsi veli-  
mus; assistente videlicet diuina gra-  
tia, quæ nunquam volentes deserit  
ac derelinquit.

*Hominem esse ciuitatem Re-  
galem.*

## COLLOQVIUM LXXXII.

**V**ERVM quò plenius planiusq; **THEO.**  
propositū istud nostrū per- *Homo*  
sequamur, quemadmodum *ciuitas*  
meretur, notandum hoc loco venit, *bene cō-*  
hominem Regalem quandam ciui- *stituta.*  
tatē videri esse nuncupandū: quem- *Arist l.*  
admodum eum Plato, & non multò *de com.*  
post Arist. appellandum sibi esse ex- *ani. mo-*  
istimauerunt. Nec immeritò sanè: *riōne. l. 4.*  
si enim microcosmus ille quidam *pol. c. 4. l.*  
est, quemadmodum abundè supra *s. c. 3. l. 7.*  
declarauimus, quantò iustius ciui- *c. 4.*  
tatis nomē quadrare ei potest, mūdi  
vide-

*Philo de  
opif. mü-  
di.*

videlicet totius respectu, quem Phi-  
lo magnam ciuitatem appellauisse  
perhibetur. Ciuitas verò ista ex  
duabus admodum partibus consti-  
tuitur, quarum prior superior ac prin-  
ceps est, & tres illas nobilissimas a-  
nimæ facultates iam sæpius à nobis  
allegatas complectitur: voluntatē  
puta, rationem, & memoriam: po-  
sterior illa est, quæ obedit & infe-  
riorem locum ac dignitatis gradum  
accepit, hæc alias appetitus appella-  
tur, & in irascibilem concupiscibi-  
lemque diuiditur: quæ animæ diui-

*Arist. de  
ani. c. 9.*

*10. 11. l. 1.*

*Eth. c. 13.*

*l. 5. c. 1.*

*l. 1. mag.*

*mor. c. 1.*

*Et. 6. l. 7.*

*Pol. c. 14.*

*Et. 15. l. 2.*

*ad Eud.*

*c. 2. Et. 6.*

*l. 2. c. 19.*

*l. 9. Mel.*

*c. 2. Et. 5.*

sio in partem superiorem ac inferio-  
rem, primò ab Aristotele tradita, &  
postea communi Theologorum sen-  
tentia approbata fuit; quemadmodum  
ad alium locum à me dictum fuisse  
recordaris. sub hoc appetitu facul-  
tates vegetatiuæ cōprehenduntur,  
quæ omnium infimæ sunt. Præcipuum  
autem officium ac principale illarum  
munus est, omnes vires suas ad diui-  
nam gloriam conferre, & maiorem  
Dei honorem, qui Rex Regum est, &  
Monarcha omnium cæli ac terræ  
Monarchiarum. Secunda earum

par-

partes sunt salutem & bonum publicum civitatis istius procurare, secundum leges & decreta ab eodem Domino perlata. Hoc sine voluntas nostra omnes suas affectiones ad id conferre debet, vt Dominum suum amet, honoret, timeat, illique inserviat; vt omnia amet quae ille diligit, omnia oderit quae ille averfatur, omnia fugiat quae ille abominatur: non solum quia suprema bonitas, pulchritudo, sapientia, potentiaque est; quae sunt propria motiva magni alicuius amoris ac reuerentiae: sed etiam quia iure naturali diuinoque ad recognitionem clientelam, seruitiumque tenetur, velut omnium bonorum domino, omniumque dominorum ac Principatum, quae in mundo, corpore, & seipso habet praestandum ac exhibendum. Ad hunc eundem finem ratio quae voluntatis consiliaria est, & iisdem legibus obligatur, lumen suum, discursus suos, consiliaque omnia debet conferre. Memoria vero quae Indices & Elenchos consiliorum ac decisionum complectitur, capacitatem, diligentiam, fide-

fidelitatēq; subministrat. Hęc est il-  
 la prima pars, quę in fronte sua Dei  
 imaginem præfixam gerit, quemad-  
 modum superius demonstrauius,  
 & cum ipsis Angelis communis no-  
 bis est. Hic est interior ille Diui *a*  
*a Rom. 7.* Pauli ac Platonis etiam homo. Hęc  
*22. Eph.* est illa pars, quemadmodum accu-  
*3. 16.* ratè Philosophus vester animad-  
*Arist. l. 1.* uertit, quę ius diuinum ac naturale  
*Pol. c. 3.* parti inferiori siue appetitui & affe-  
*8. l. 7.* ctionibus explicat, eas moderatur,  
*c. 7. 14. et*  
*15.* eas vt *b* Rex subditos, sicut *c* Pater  
*c Idē l. 1.* liberos, *d* pædagogus discipulos,  
*Eth. c. 13.* maritus coniugem, Herus seruum,  
*d Idem 3.* & Magistratus populum gubernat;  
*Eth. l. c* quęque illas suo ductu atque auspi-  
*12. Sc.* cio incedere facit, quemadmodum  
 primum cælum motu suo omnes a-  
 lios ex Oriente in Occidentem mo-  
 ueri facit ac circumgyrari. Repræ-  
 sentat ergo pars ista nobis Principē  
 aliquem facilem, doctum, patientē,  
 iustum, prudentem, promptum, po-  
 tentem, & excitatum ad subditos  
 suos honorandos supplicioque affi-  
 ciendos: quod rationis proprium  
 est, quę imaginem perfecti absolu-  
 tiq̃

tiq̄ue Regis cum tota sua aula popu-  
loq̄; nobis repræsentat . Domus au-  
tem Regia illius cerebrum est , loc⁹  
editior, & totius corporis pulcher-  
rimus: vbi anima cū Maiestate præ-  
sident, vbi memoria merces suas ex-  
promit, ratio Concilium habet, &  
voluntas mandata ac edicta sua con-  
cludit. Secūda pars quæ huic subest,  
ab eaq̄; gubernatur, cōtinet vniuer-  
sam œconomiam sensitivam, & ve-  
getativam, cum alijs ad eas pertinē-  
tibus . Sensitivam cum bestijs com-  
munem accepimus, vegetativam cū  
plantis, tametsi nobilioribus in no-  
bis qualitatibus præditæ sint ac ex-  
ornatæ . Sunt ergo hic Magistratus  
subalternati, est minor nobilitas,  
& tertius status . Tenet hic primum  
locum appetitus sensitivus, qui quā-  
vis sua à natura ad terram & res  
sensuales propendeat, videlicet ob  
corruptionem peccati originalis,  
nihilominus rationis capax est, &  
si benè accurateq̄ue erudiatur ac  
informetur, illi obtemperat non  
aliter quam subditus Regi, filius Pa-  
tri, Discipulus pædagogo, vxor  
ma-

*Faculta-  
tes vege-  
tatiua  
rationis  
oculis  
auribus-  
que ca-  
rent.*

*Stupidi  
immori-  
geri.*

*Animi  
genorosi  
stimulos  
curant.*

marito, seruus Hero, populus Magi-  
Aratui, & cælum inferius cælo su-  
periori. Iam quod ad facultates ani-  
mæ vegetatiuæ attinet, quæ alimen-  
tis nutrimentisque vacant, incre-  
mentumque & generationem cor-  
poris spectant, ex humiles sunt &  
terrestres, oculis auribusque desti-  
tuta, totaliter surda & rationis edi-  
cta non audientes. Aduenit autem &  
hic sæpenumerò illud quod in cor-  
poribus mysticis Rerumpubl. & fa-  
miliarum contingit, quod videlicet  
membra omnium maximè hebetia  
atque obtusa, omnibus plus rebel-  
lent, ac minus obtemperent. Vide-  
mus id in Regnis, in scholis, in con-  
gregationibus religiosis, in acie, ac  
ciuitatibus contingere: in quibus si  
stolidus aliquis, si insensatus, si na-  
tius aliquis asinus bellè auritus, &  
obtus ingenij ad instar incudis re-  
periatur: hic primus erit qui contra  
Dominum suum insurgere audeat,  
qui contra Præceptorem, contra  
Superiorem, Capitaneumque sese  
opponat, freni ephippijque impa-  
tiens: anima autem generosa & bene  
nata

nata, tractabilis est, disciplinae aurē  
 accommodat, calcaria admittit, nihil-  
 que nobilius arbitratur, quā legibus  
 obedire, rationi subesse, & omnibus  
 rectam honestamq; vitam praesignā-  
 tibus morigerari. Quemadmodum  
 enim inter omnia elementa terra sto-  
 lidissima (vt ita loquar) est, minimē  
 tractabilis, & pigerrima; contra autē  
 ignis vt nobilissimus, sic maximē  
 agilis morigerusq; est: ita etiam in-  
 ter homines nonnullos videas aded  
 in stupore suo confirmatos, vt non  
 ineptē pondus ac terra hominum  
 videantur posse appellari: è diuerso  
 autem nonnullos inuenias, qui na-  
 turam igneam fortiti subesse didice-  
 rint ac obtemperare. Cæterū huius *Fern. l. 5.*  
 appetitus habitatio cor est, quemad- *Phys. c. 9.*  
 modum etiam passionum, eandē cū *19.*  
 illo familiam constituens: passionū  
 autem quatuor principales sunt, læ-  
 titia tristitia, spes, & timor, aliæ ab  
 his dependent, de quibus infra ser-  
 monem instituemus. Imperat autē  
 ille & dominatur sub voluntate se-  
 sibis interioribus pariter ac exte-  
 rioribus. Interni secundum vulgare

Cc

opi-



*Fern. l. 5.* opinionem sententiamq; tres sunt  
*Phys. c. 8.* sensus cōmunis, imaginatio, & me-  
*Arist. l. 3* moria, non illa quæ superiori ani-  
*de an. c.* mæ parti annumeratur, sed alia quæ-  
*2. & 3. l.* dam corporea, & cum bestijs nobis  
*de sensu* communis. Hi tres sensus appeti-  
*6. 7.* tui velut quidam consiliarij affi-  
 stunt, eiq̃ue lucem ac facem præ-  
 ferunt, quò facilius ad ea feratur  
 quæ bona sunt, & illa auerferur, quæ  
 mala ipse existimat, sicque functio-  
 nes suas in negotijs bonum parti-  
 culare corporis concernentibus ex-  
 erceat: in quo non absimiles sunt à  
 Nobilibus Cubicularijs, inseruien-  
 tes videlicet voluntati Reginae suæ,  
 & Rationi sanguinis Dominae. Ob  
 hanc etiam causam habitatione suã  
 concilio priuato, id est, cerebro,  
 quod Reginae Palatium est, vicinum  
 contignumque habent. Habet dein-  
 de sub se idem appetitus quinque  
 sensus exteriores, Visum, Auditum,  
 Olfactum, Gustum, & Tactum; qui  
 communes quidam huius Reipubl.  
 Officiales sunt, qui nihilominus ad  
 interiores, velut Receptores parti-  
 culares ad Quæstores & Thesaura-  
 rios

rios generales referuntur, quorum  
 quilibet suam prouinciam habet,  
 sua organa, & locum singulis assi-  
 gnatum. Visus oculos infedit, per  
 quos non aliter quàm portas quasdam  
 colores diuersos intromittit, & ijs  
 ad salutē publicā vtilitatēq; vtitur;  
 Auditus aures, Gustus Linguā & Pa-  
 latū, Olfactus Nares, Tactus omnia  
 membra occupauit, præcipuè verò  
 manum, quæ omnia tangit, omniaq;  
 permeandi obeundiq; facultatē ac-  
 cepit. Oculi munus est colores con-  
 sectari, auris sonos captare, odorat<sup>o</sup>  
 odores persequi, gustus sapes ve-  
 nari, & tactus calida, frigida, sicca,  
 humida, molliaq; & alia his similia  
 distinguere. Omnes aut sua isthęc ad  
 sensus interiores deferre, sensuique  
 cōmuni assistere debēt: cuius imagi-  
 natio & memoria portiones allatas  
 accipit, eas subtiles facit, & propè  
 spirituales reddit; quò videl. accō-  
 modatæ dignæq; fiant, quæ aliquādo  
 in mensa Reginae illius deponantur:  
 quæ quia merus spiritus est, ideò tā-  
 tū rebus spiritualibus ac suæ naturę  
 conformibus pascitur; præsertim aut

quæ à sensibus nobilioribus & excellentioribus, oculo videlicet, aure, & odoratu inuehuntur. Primò enim illo mediante Cælum intuetur; pulcherrimamq; illam totius Vniuersi picturam contemplatur, & postea in cognitionem excellentissimi illius sapientissimiq; Architecti digreditur. Per secundum verbu diuinum audit, quod etiã instar feruli cuiusdam est, per quod bonitatem, sapientiam, aliasq; perfectiones Domini sui degustat. Odoratus deniq; qui bestijs tantum ad odorandum datus concessusque est, longè hic nobilior excellentiusq; officiu sortitur, dum nimirum animæ ipsi inseruit, quo facilius diuersos odores percipiat, & ex ijs scientiam consequatur. Vltimus ac postremus, quique reliquis hebetior obtusiorq; est, æquè etiã ab appetitu instruitur; qui quendam voluntati vicariu agens, si morem gerere & officij sui limites non transilire didicit, vnum hoc agit vt sobriè ac moderatè alimonia per singulas membrorum familias distribuatur. Hinc eandem  
me-

mediante gustu ac tactu ad stomachū  
transmittit, qui communis officina  
est, & vegetatiuæ paret; à qua facultates  
attractiua, retentiua, & concoctiua  
velut tyrones culinarij, expulsiua  
autem velut cacaborum repurgator  
instruuntur. Quæ etiam facultates  
diurnum suum laborem exequi tenentur,  
quò videlicet partibus nobilioribus,  
& illarum culinis, ac publico bono  
melius consulatur; quod si etiam nonnunquam  
egeant, tum verò nisi re perfecta non  
egrediuntur, etsi ratio aliud iubeat,  
adeò videlicet terrestres sunt, adeò  
immorrigeri, stupidi, hebetes ac obtusi.  
Ex hac culina mensam suam instruunt  
Quæstores & Intrinseci Regiæ Maiest.  
puta sensus interiores, ac exteriores,  
secundum præscriptū appetitū sensualem,  
à volūtate & ratione ad id instigati.  
Cum his etiam accubunt Thesaurarij,  
Præfecti Aerarij, Mercatores, ac alij.  
Primus Thesaurarius neruorum truncus  
est cerebri origo, eius pecuniae sunt  
spiritus animales, quos nerui per  
corpus vniuersum diffundunt.

*S. Thom.**op. 43. c.**2. Fern. l.**5. Phys.**c. 4.**Al. Mag.**in sum-**ma de**homine.*

*Pecunia  
neruus  
Reipub.*

vt enim rerum publicarum neruus est? ita nerui corporis quædam pecunia sunt. Et sicut pecunia corpori mystico rerum publicarum motum confert, quemlibet laborem suum faciens exanthlare; ita nerui motum ac sensum omnibus partibus corporis naturalis indulgent. Præcipuus ærarij præfectus cor est, in corporis meditullio situm, accipientes corpus cum Galeno pro ea parte quæ inter collum ac umbilicum interest. Hic illustri domo satus vniuersum regnum moderatur, & præcipuas gazas colligit, quæ sunt spiritus vitales, quos ille in cistis Reginæ deponit: soluens cuiuslibet officialium salarium suum mediantibus arterijs, quæ cuiuslibet certum annorum ac pecuniarum numerum repræsentant, ita vt absque illis foret vniuersa mererentur. Mercatores etsi infiniti sunt, duos

*Vena  
Porta &  
Caua.*

tamen præcipuos habent venarum videlicet truncos, quarum vna Porta, altera Caua appellatur. Horum negotiatio in eo consistit, vt spiritus vitales in hepatis officina in-  
struant,

struant, qui postea mediantibus alijs venis velut minores negotiatores noctu ac interdum in corporis sustentatione occupantur. Totus ergo corporis huius mundus ordinariam suam mensam à stomacho accipit, opera appetitus sensitiui, singulorum autem vita & labos communem semper salutem spectat ac incolumitatem. Cætera minora membra, & organa, vti pedes, qui maiores & robustiores Baiuli sunt, splen, fel, & partes abiectiones, quæ quidem operarij ac vulgus sunt, modo suprascripto motum suum, alimenta, & vitam beneficio Exactorum, Quæstorum, Officialium, ac etiam Mercatorum consequuntur; quibus omnibus illi operam suam locant, quo videlicet panem lucrentur.